

1480 quo contigit, ut Ferdinandi Regis potentia oppidum terra marique aliquandiu oppugnatum, cum barbarico sit præsidio receptum. Hæc barbarus.

*Coricta Veneto cedit imperio.*

Veneti interea Corictam, Dalmatiæ insulam (quam recentiores, ut alio loco significavimus, *Velgiam* dixerunt) suo imperio adjunxere. Fecerant hi, olim rerum in Dalmatia potiti, eam jure belli suam: habueruntque aliquandiu insulani ipsi Venetos magistratus. Mox vero, Rainerio Zeno Principe, Schinellis, familiæ ea tempestate in Corictanis illustri, tota insula vectigalis concessa est: mansereque illi ac posteris in fide annos circiter ducentos. Sed procedente tempore Regulorum studia Dalmaticis motibus variare cœperunt: ut nunc Veneta, nunc Belæ, Ladislai, Lodovici, & aliorum Regum arma, usque ad Joannem Banis filium (qui omnium novissimus Corictanorum Princeps fuit) secuti sint. Is, temere occupatis Martini Principis, fratris sui defuncti, oppidulis quibusdam, quæ ille intra continentis oram Matthiæ Pannoniæ Regi moriens testamento reliquerat, quum barbara in se arma irritasset, ad Venetas opes confugit. Maerblasius, qui ex Pannonia in Dalmatiam ad id missus fuerat, non contentus loca, quæ ille ab initio invaserat, recepisse, in insulam copias transmisit; & jam cœperat Muselum oppidum oppugnare, quum Jacobus Venerius legatus ab Antonio Lauretano, tum classis imperatore, ex Corcyra affuit: secutus inde Antonius Vinciguerra, scribarum unus, a Principe & Patribus ex urbe missus. Is quum publico nomine barbarum monuisset, ut ab Corictanis injuriam abstineret, qui nuper in Venetorum fidem venissent, tantum abfuit, ut ille ab incæpto destiterit, quod Muselo recepto, continuo ad urbem copias admoverit. Erant insulanorum animi vehementer ab ipso Principe alienati ob tributum, quod populis ab initio belli imperarat: quo accidit, ut sub hostium accessum vulgo omnes ad defectionem spectare cœpissent. Desperatis itaque rebus, Corictanus Comes, persuadentibus qui aderant, omne jus quod ipse (cujus tota tunc insula erat) ac majores sui